Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26385
Copyright: Admont, Benediktinerstift

139

Beatus ille seruus quem cum uenerit dominus eius inuenerit sic facientem. Amen dico uobis. quoniam super omnia bona sua constituet eum. FVLGENTII EPI.

Seruos quos populo suo preposuit dominus speciali uolens officio demonstrare. ait quod ex euangelio modo audiuimus.

Sint lumbi uestri precincti. LVCAM.

Et lucerne ardentes. et uos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur a nuptiis. ut cum uenerit et pulsauerit. confestim aperiant ei. Beati serui illi quos cum uenerit dominus inuenerit uigilantes. Amen dico uobis. quod precinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. Et si uenerit in secunda uigilia. et si in tercia uigilia uenerit et ita inuenerit. beati sunt serui illi. Hoc autem scitote. quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur ueniret uigilaret utique et non sineret perfodiri domum suam. Et uos estote parati. quia qua hora non putatis filius hominis ueniet.

Ait autem ei petrus. Domine ad nos dicis hanc parabolam an et ad omnes. Dixit autem dominus. Quis putas est fidelis dispensator et prudens quem constituit dominus super familiam suam ut det illis in tempore tritici mensuram.